



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi

Clagius, Thomas

Coloniae Vbiorvm, 1659

III. Priores aliquot Mensis Aprilis dies.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11544

C A P U T III.

Priores aliquot mensis Aprilis dies.

Aprilem veteres Romani Veneri sacrum fuisse prodiderunt; sive quod Romulus primos Anni menses, ad primos Urbis conditores retulerit, ut sicut Martius Patri Romuli Marti dicatus esset, ita Aprilis Æneæ primi è Trojanis Romæ conditoris, matri Veneri dicaretur. Martium nos Deiparæ sacrum jam diximus, non eo tantum quod & S. Iosephi sponsi, & S. Ioachimi Patris Deiparæ inclytus sit festis, sed vel maximè, quod illo mense, per Annuntiationis atque incarnationis mysterium, DEI MATER sit effecta. Etsi verò Aprili mensi nullum ipsius, aut cognatarum ejus festum, nisi forè Annuntiationis festum, propter Pascha & Hebdomadam sanctam in Aprilem transferatur: nihilominus Deipara, vel ob effusa in humanum genus beneficia, sicut alios, ita & Aprilem mensiem, sibi jure vendicat. Quantas enim vel hoc uno anno illa apud suam Lindam meritis cumularit, exempla, quæ damus, ostendent.

I.

Mulier hæretica, in gravissimo dentium cruciatu, levamen experta.

Quod sub finem capitis vicesimi quarti, libri primi de Equo hæretici cujusdam persanato retulimus, ad ipsas Calendas Apriles hujus anni spectat.

peccat: jam quod referemus postridie. quarto videlicet Nonas April. evenit. Muhlak est agri Rastenburgensis villa, plusquam leucæ unius intervallo à Linda disjuncta; unde colonus, idemque villæ prætor Michaël Hein. unà cum uxore, quantumvis hæretici, gratias Deiparæ acturi advenerunt. Immani dentium cruciatu laborarat paulò ante mulier, & cum remedium aliud nullum prodesset, quantumvis varia essent adhibita, non leve remedium à voto Lindam factò experta est. Unde & maritus, comes perinde itineris, atque voti beneficiique accepti testis, Lindam unà venit; neque tamen sacellum unà ingredi potuit, eò quod prædicantem, è vicino Beslacensi pago in taberna, perpotantem invenisset. Veritus enim, ne ab eo proderetur, ac deinceps à suis multaretur, maluit se interim prædicanti in popina, quam uxori in sacello adungere socium. At uxor, majore interim confidentiâ sacrâ ingressa ædem, quas potuit, Divæ Lindensi gratias egit.

II.

Hæretico salus animi restituta.

Ne is, quem proximè memoravimus, sacellum Lindense initio unà cū uxore ingrederetur, prædicans, uti vidimus, obstaculo fuit; at verò ut alter, de quo jam agimus, per sacramentum Pænitentia catholicæ Ecclesiæ, uxorem comitatus ingrederetur, prædicans eadem causa ex parte fuit. Fuit homo ille pastor ex villa Paris, Linda plus tribus leucis distita, nomine Henrius; qui matrimonium cum femina catho-

catho-

catholicâ initurus, pro more, opem atque operam Prædicantis implorabat Non denegabat prædicans operam, sed, pro more itidem suo, operæ precium, multò, quàm pastor tenuissimæ facultates paterentur, extorquebat. Ergo pastor, catholicâ præsertim sponsâ invitante, Lindam venit; ubi prius quam novæ nuptæ, in facie Ecclesiæ, jungerentur, Deo ipsi & sponsæ Dei Ecclesiæ catholicæ, per Sacramenta, pridie Nonas Apriles, junctus est.

III.

Pedum usu destitutus, voto Lindam factò curatus, ad promovendam eodem remedio aliorum curationem strenuè laborat.

Ipsis Nonis Aprilibus, Albertus Woyt peregrinationem, quam ter quovis anno Lindam facit, consuetâ cum gratiarum actione absolvit. In Subsilvania, haud procul Bransko, in Parochia Stradunensi orrus ille erat, & quatuor annos ulceribus internis oblitus, Raygradum amicorum suorum votis oblatus, non nihil ad se redierat; cum paulò post in graviores et jam relapsus morbum, exhaustâ gradiendi facultate, usum pedum omnem amisit; dimidio circiter anno non nisi alienâ operâ manibusque portandus, aut loco movendus. Inde Lindâ suo tuorumque voto oblatus, Deiparæ ope confestim revaluit; ut pedum usum, quem eadem ope recepit, nemini magis quàm Deiparæ consecratum velit, ternâ quotannis peregrinatione Lindam ita institutâ, ut simul vel aliorum curationem eadem Deiparæ ope promoveat,

omoveat, vel etiam vota jam curatorum perferat:
nemadmodum hoc ipso mense, 1 v. Cal. Majas ite-
m Lindam rediit, & trium aliorum nomine, qui à
libri aliisque morbis, per Deiparam sanati erant,
vota, preces, atque gratias reddidit.

IV.

Operarius ab hæresi reductus, & vicinorum
insolentia pro merito
castigata.

Eadem ipsâ die, Bisteino advenit operarius qui-
dam, ut non tam corporis quàm animi salutem con-
suleret. Versabatur anno proximè elapso apud suum
fratrem, qui in vicino Prussiarum Ducatu intra Prædi-
cantum castes irretitus innoxium quoque fratrem
iisdem irretierat. Nam, ubi frater subito implicitus
morbo mortis videbatur adesse discrimen, prædi-
cantem ad ipsum vocat; à quo, quâ dolo, quâ minis
(cum sibi præ vehementia morbi, non admodum
constaret) ut profanam ejus synaxin admitteret,
tandem inductus est. Verùm ubi ad se viresque pri-
stinas utcunque rediit, errorem suum, fratrisque
iuxta ac prædicantis fraudes detestatus, cum præter
Lindam, nullum ad Ecclesiam, Deumque redeundum
locum faciliorem inveniret, eò se quàm primum con-
tulit, & voto suo potitus est. Quo tempore quorun-
dam, è vicino pago Stamplak, insolentia & hære-
ticus furor se prodidit. Præfectus pagi, Scultetum
vulgò appellant, cum aliis libenter in popina hau-
serat, & adjuvante fratris filio, contumeliis pri-
mum inter rixam ortis, deinde etiam vulneribus in-
noxios

Rr

noxios

noxios quosdam affecerat. Tamen si verò eodem loco ac tempore retundi is furor potuisset, vitium nihilominus fuit, jure potius deinceps agendum, & aliquod, etiam in futurum, beneficio juris statuendum exemplum. Quod ubi insolentiae authores adverterunt, multis per se suosque precibus, ut res citra juris rigorem componeretur, contenderunt. Concedendum aliquid serae insolentium penitentiae fuit, praesertim cum & ad futuram Lindae fabricam aliquid operis ab iis speraretur, & ingruentes undique belli tempestates, viam juri intercluderent.

V.

Studiosorum Resselienfium, aliorumque processiones.

Quod libri primi, capite vicesimo secundo tradidimus, de processionibus, ab ipsis Cal. April. usurpatis identidem oculis deinceps potuimus. Calendis ipsis adfuerunt Clausdorffenses & Worplacenses, quos paulò post Münchsdorffenses, Soowaydenses aliique de vicinioribus Lindae pagis, secuti sunt. Verùm omnibus vicinis palmam studiosi Resselienfes, uti alibi ita hoc anno, praeripuerunt; qui initium mensuarum suarum supplicationum VII. Id. April. fecerunt. Aureum miliarium, Suetonius in Othone (a) Plinius (b) Tacitus (c) & Plutarchus (d) celebrant, velex eo maxime, quod ad eam columnam in foro juxta Saturni sedem positam vias per Italiam vias terminarentur. Aureum ad Lindam miliarium facit, cum a

(a) cap. 6. (b) lib. 3. cap. 5. (c) lib. 17. (d) in viis Galbae.

orum planè innumerorum, tum studiosæ in Collegio Resselensi juventutes, tam frequens peregrinatio, & aurea prorsum, in ea peregrinatione, omnium pietas, atque religio.

IV.

Puer à gibbero morbo, & totius corporis macie curatus.

Joannes Marquard inter cives Brunsbergenses non postremus unà cum conjuge sua Elisabetha filium lexennem, nomine itidem Joannem, Deipara Lindensi, voti reum stiterunt præsentem. Teneros pueruli artus superiore anno incurabilis morbus occuparat; quo, & nervi ita adstricti sunt, ut contractis in gibbum ac fere glomum puer, neque circumspicere retro, neque collum, quod obriguerat, erigere sursum ullâ ratione posset; & membra totius corpusculi ita exhausta ac macie consumpta, ut præter ossa ac pellem, nihil propemodum in corpore superesset corporis. Sed reddita continuò est sanitas puero, ubi, præsiidiis omnibus humanis nequidquam adhibitis, à Diva Lindensi postulatam & impetratum est alexipharmacum. Cujus rei gratiâ, & parentes sua vota atque preces Lindæ persolverunt; & puer dicatam suo nomine Imaginem coloribus eximie expressam, suis manibus ter circum majorem partem detulit, ac demum sospitatrici suæ Deiparæ consecravit v. Id. April.

Rr 4

VII.

VII.

Gratiæ ob morbum periculosum bis depulsum actæ.

Ad iv. Idus Apriles Dominus Zekorn VVar-
temburgensis Consul, unâ cum uxore & filio mini-
mum viginti quatuor millia passuum, Lindam usque
pedes confecit; ut Deo ac Deiparæ, cum alia benefi-
cia plurima, tum restitutam bis uxori sanitatem gra-
tus atque memor in acceptis referret. Illa enim cum
octavum ætatis annum fuisset ingressa, morbum ex-
trema jam tum vitæ minitantem, non alio, quàm in-
vocatæ Lindensis Divæ præsidio depulerat. Cum
verò superioris anni æstate idem aut multo et jam
gravior morbus recurrisset, ne illa quidem aliò
quàm ad eandem sibi patronam censuit recurren-
dam. Et facillè iterum admittæ atque audita est sup-
plex, quæ & novi, & veteris beneficii memorem
juxta atque gratum afferebat animum.

VIII.

Miles à diuturna febrî relevatus.

Venit is ex infecto hæresi pago Langenbruck, seu,
ut vulgò appellant, Lembruk dicto; octo circiter
passuum millibus Lindâ distito. An verò ipse quoque
hæresi fuerit adhuc infectus, haud constat. Cuius-
cunque tandem sectæ fuerit, constat opem Divæ
Lindensis fuisse expertum. Maligna febris non arma-
duntaxat, verùm & salutem homini excusserat, ut
octo circiter hebdomadas, acutissimis cum ardori-
bus conflictaretur. Adversus hostem tam domesticum

rum, inter alia præsidia, intimum quoque à phlebotomia admotum, & sanguis, qui com meatum videbatur hosti ministrare, imminutus. Sed neque sic imminutus morbus, contra quem denique à Marianæ Lindæ arce, quam desperatissimis in rebus patere unicuique non nesciebat, petendum censuit præsidium. Sanctè igitur apud se testesque præsentis statuit, non modò se aditurum, cum primum licuisset, Lindense sacrarium, verùm & donis, pro facultate, ornaturum. Extemplo morbus, qui invaserat, facessere iussus, & miles jam sub tanta patrona, de morbo victor, ad III. Idus Apriles, quasi tropæum quoddam victoriæ apud Lindam statuit.

IX.

Equi furore quodam in cursum effusi, incolumes & illæsi reperti.

Non est insolens, equos in cursum effundi; effusosque non modò pavore & consternatione, verùm & rabie, & furore correptos, per avia & invia, susq; deque agi: insolens tamen ferè est, vel homines, vel equos conservari in eo periculo innoxios. Id periculi, cum honesta matrona, Slegeli coloni ex Henrichsdorff Kesseliensis agri pago uxor, meritò formidaret, ad B. Virginem Lindensem ejusdem avertendi causa se convertit. Incertum quo pavore consternati equi, cum vehiculo in præceps, per agios & invia abière, ut momento extra oculos quoque raperentur. At illa (cum neq; sistendi illos, neque salvos recipiendi ulla superesset spes) oculos interim ad B. V. Lindensem convertit, & votum, si jumenta sana recepisset,

R r 3

cepisset,

cepisset, invisendæ cum donariis Lindæ fecit. Quæ ad requirendos equos missi fuerant; sanum utrumque vehiculo minutissimas in partes confecto, juxta silvas reperere; quorum alter quietus stabat, alter cursu nimio fatigatus humi procubuerat. Agnovit Divæ Lindensis beneficium mulier; proinde voti reæ, quod promiserat, diebus his exolvit.

X.

E nobilis hæretici aula, ad luem à pecore abigendam, vota & donaria Lindam missa.

Intra eosdem fere dies, pluribus cum candelis cereis adfuit è vicina nobilium aulâ, Krakotin dictâ, supra duo passuum millia ab Æde Lindensi distitâ, Subditus quidam. Invaserat, quæ in vicino grassabatur lues, etiam illius aulæ pecora; & ex iis plura jam sustulerat. Ne porrò, quæ supererant, tollerentur, non aliud præsentius, quàm apud Divam Lindensem præsidium, et jam hæreticis, occurrit querendū. Tot igitur cereæ candelæ, quot adhuc capita residua erant pecoris, Lindam per memoratum subditum missæ sunt; & adjectis precibus, præsidium, quod et jam à fide catholica alienis, benignissimam Dei Matrem præstari constat, imploratum; eademque operâ amplissimum Deiparæ testimonium, vel ab inimicis, datum. Quo quidem facto, aliqua Fordicidiorum, quæ xvij. Cal. Maj. seu xv. April. die, apud Romanos veteres agebantur, recurrere species videtur, de quibus Ovidius:

*Tertia post veneris cum lux surrexerit Idus,
Pontifices fordâ sacralitate bove.*

Ford

*Forda ferus bos est, facundaque dicta ferendo,
Hinc etiam fatus nomen habere putant.*

CAPUT IV.

Posteriores mensis Aprilis dies.

Sicut prioribus Aprilis mensis diebus, præter Fordicidia quorum meminimus, & Megalesia, qui eant magnæ Matris Deum ludi, alia quoque sacra, tum *Fortuna virili ac Veneri Verticordia* ipsis Calendis, tum *Fortuna publica* VIII Id April. tum *Cereri* V Id. April. tum denique ipsis Idibus *Iovi Victori* fiebant: ita posterioribus agebantur tum *Equiria* in Circo maximo; tum *Cerealia* XIII. Cal. Majas, tum XI. Cal. Majas, *Pallia*; tum deinceps *Vinalia*, *Robigalia*, atque *Floralia*. Quæ si quis cum Iacobo Hugone, in nova ac vera *Historia Romanâ* ad Philosophiam ac Theologiam Christianam referre voluerit, vel è Floralibus exemplum tum eodem sumet: si ut, ille (a) scribit, *Deam Floram, castissimam Virginem, Nazaræam matrem* (quod nomen *Historicè Florâ, seu floridam signat*) eod, quod extra consuetudinem, nempe consummatum, parituram filium, ex Sybilla noverit. Quæ ut alibi, ita apud Lindam, Deiparæ facile attribui potuerunt.

I.

Liberis recens natis, vita B. Virginis Lindensis
ope conservata.

Ad XVI. Calend. Majas Martinus Ruskowicz, è Radoszyce oppido juxta Petricoviam in Polonia sito, ad Rastemburgenses nundinas merces suas,

R. 4

præfer-

(a) pag. 8. & cap. 23. pag. 181.